

*adequate, representans.* In *potentia representandi* non continetur *libera voluntas*; nec effectus ex *representazione* sequitur. Ergo nec vera omnium *creatio* & *providentia*, nec *gubernatio*, ita docetur, sed reapse evertitur. Quod & ipsa hypothesis docet. Nam ea potius *necessariam* omnium ex præcedentibus sine fine existentiam infert, & seriem rerum ab æterno. Imo quomodo creationem & providentiam agnoscerent, qui dicunt, existentiam ipsam mundi difficulter contra *Idealistas* demonstrari; & initium mundi aut generis humani e principis rationis demonstratum nondum esse? Quod Cl. Langius obseruat *Ideæ Analyt. Syft. Wolf. §. 23. & 58.* ex ipsius *Rat. Prælect. §. 156-158.*

LI. Displicet mihi etiam, quod Deus vel *Divinus intellectus gradibus facultatis representatiuæ* tantum, dicitur differere a tribus primis speciebus, si singula hæc *simplicia, tantum gradibus facultatis representatiuæ inter se differunt, & differentie specificæ* desumptæ sunt a modo *representandi uniuersum*, qui in infinitum variari possit. Nulla datur proportio inter finitum & infinitum. Nec a finito gradatim perueniri potest ad infinitum. Finita addita finitis nunquam dabunt infinitum. Ita partes siue corpora huius mundi finita nunquam efficiunt *mundum infinitum*; nec *numerus momentorum tempus infinitum*. Imo quod partes habet, non potest esse *infinitum*.

LII. Ex hisce speciminibus constare poterit, quam obscura, quam paradoxa, imo & absurda, sint hæc philosophemata de hisce *simplicibus*, de quatuor eorum speciebus: quantam inuehant confusionem *animæ & corporis*, item *animarum brutorum & hominum*, si non quoque ipsius Dei. Nam si primæ speciei *simplicia*, siue principia corporum, *representarent mundum*, quod non nisi cogitando, & per ideas posset fieri, omnia corpora, quæ ex *simplicibus* illis composita sunt, *cogitare* deberent. Si secundæ speciei *simplicia* etiam *representarent mundum*, & quidem *clare, sed indistincte*; quod rursus cogitando, & per ideas fieri deberet; etiam *animæ brutorum cogitarent*. Tertiæ speciei *simplicia*, id est *animæ hominum*, quæ *mundum* etiam dicuntur *representare*, & quidem *clare & distincte*, æque ac *animæ brutorum* statuuntur fuisse, priusquam in corpus venirent, *in statu simplicium elementarium*, siue principiorum corporum, atque ita *transformate in creaturas etiam rationales*. Vnde liquet, quam obscura & inepta sit omnis illa Philosophia, quæ ex his principis & *simplicibus* deducitur. Quantum præstitisset, vt celeberrimi illi Mathematici studium Mathematicum, in quo excellunt, promouissent, & non tam infeliciter *falcem suam in messem Physicam & Metaphysicam immisissent, & vtramque corrupissent & deprauassent!*

Coll. diss. A. 2, misc. 62